

κινεῖται μᾶλλον ὁ πολὺς, ἢ δὲ κίνησις ποιεῖ ψυχρὸν. σημεῖον δὲ τούτου ὅτι κινουμένα ψύχεται τὰ θερμὰ.

“Cur aer paucior, calidior copiosiore? Nam locorum angustiae, calentiores. An quoniam movetur magis, copiosior? Motus autem facit frigidum. Signum huius est, quoniam calida, si moveantur, frigescent.”

Quid apertius? Quid contrarium magis illi priori? Sed et flabellum quo aestate utimur, eius sententiae falsitatem convincit, illius veritatem comprobat.

Haec sunt experimenta, et testimonia, et rationes, quae dogma nostrum validissime confirmant. Aquam sui natura non esse frigidam. Quibus addamus etiam alia. In balneis, ubi lavamur, calidissimus est aer, locus anterior in quo spoliatur, et ipse calidus est. Qui ergo hunc, e via prius ingrediuntur, calidum sentiunt. Qui vero loti, in eum egrediuntur sentiunt frigidum. Id comparatione maioris et minoris fit caliditatis, ut quae minor est caliditas, frigus videatur. Sic manus nostrae quae innatum calorem habent magnum, aquae minorem calorem, pro frigore habent. Sed et vinum, et acerum, et oleum, et mel, et pix, quae natura calida, sine controversia sunt, si manu tangas frigida senseris. Plantae quae calore vivunt, et serpentes, et alia forte animalia, praesertim crustacea, si manu tangas frigida iudicabis. Quae omnia Peripatus minime considerans, in praepetoris, et Ocelli dogma praepet abiit. Nec ex eo praepetio extrahi, machinis rationum, experientiarumque, sensus quoque, testimoniis ullis, potest. Sed ipsum in sua ignavia, relinquentes, tentemus, si quomodo possimus aquam omnem natura sua esse calidam demonstrare. Profecto, Bernardinus Telesius vir admirandus, et Franciscus Mutus, auditor eius, satis superque id videntur comprobasse, principia ab eo inventae philosophiae secuti. Nos quoque nostra secuti corporum principia, rationes quae idem probare possint producimus. Itaque. Nullum corpus natura sua frigidum esse audenter satis profiteamur. Omne corpus natura sua, esse calidum autumamus. Hoc autem totum, a principiis nostris pendet. Nam sicuti nullum corpus est, quod spacio careat, quodve ex fluore non sit constitutum, et quod non lumine sive puro, sive infecto, non sit praeditum: sic nullum est, quod calore, aut efficiente, aut indito non sit effectum, praeditumque. Quod quidem iam a nobis est probatum in Empyreo, in caelo, sideribusque, in aethere, et in planetis, et in aere. Quid ergo inquiet, frigus nihil est? Non alicubi est? Non aliquid efficit? De frigore postea, ac siccitate. Itaque et aqua tota, spacio est dimensa, et fluor est, et lumine diaphano splendet. Ergo et calorem habet innatum. Et quaecumque aqua, quae mare est, omnis, ac tota calida est,

etiam Aristotelis confessione, ut iam est ostensum. Dulcis quoque aqua omnis calida

est. Dulcedo namque omnis, caloris est progenies; quod philosophorum, etiam

Peripateticorum, quod medicorum etiam, nemo negat, docent omnes. Itaque cum tota aqua in haec duo genera dividatur: et haec calorem habeant: aqua tota et omnis, procul omni dubio,

calida erit. Quae scilicet sincera aqua sit. Quae vero rebus aliis fuerit commista, iam etiam per accidens calida erit omnis, nulla enim in rerum natura, mistio fit, nisi a calore. Et quaecumque

e terra emergunt, aut sub terra inveniuntur aquae, vel simplices sunt, vel mistae. Si simplices, item calidae. Ex aere enim non solo subterraneo, qui calidus natura est, fiunt secundum

Aristotelem, secundum vero sententiam nostram ex mari omnes ortum habent. Si mistae,

eadem calidae. Vel enim vaporibus miscentur, vel succis; ac fluoribus, vel adhuc fluentibus, vel iam concretis, ut metallorum, ut lapidum, haec autem omnia a calore fiunt. Clarissimum

iam est, omnes aquas esse calidas. Nam et sulphurosae, et salsae, aluminosae, ferreae,

aeae, tales omnino horum metallicorum admistione fiunt. Haec autem omnia calida sui

natura sunt, vel a calore effecta. Haec aut Aristoteles docet.

Πάντα γὰρ ὅσα πεπύρωται, ἔχει δυνάμει θερμότητα ἐν αὐτοῖς.

“Nam omnia quaecumque ignita fuere, habent potentia calorem in se ipsis.”

Neque nostrae sententiae obstat, quod hic, potentia dicantur, habere in se calore.

Dictum enim est ad sensum. Quasi dixerit. Etiam si tales actu non sentiantur, attamen in se